



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LIX. Magdalena ab Christo absente tenebras, à præsente lucem accipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

Delicias nunc ergo meas, & pignora vitæ,
 Eripit amplexu mors scelerata meo?
 Quo rapit, ah! IESVM, rapit & mea viscera saxo,
 Et mea cum IESV corpore corda tenet;
 Includitque pari me mors æquæua sepulcro:
 Sic equidem voueo, sed vetat asper Amor.
 Ah raptum decus! ah igitur mea gaudia rupes,
 Et premit affectus luida petra meos?
 Bruta filex seruat, nec habet sua Magdala IESVM!
 Magdalis an saxo durior ergo filex?

L I X.

MAGDALENA ab CHRISTO
*absente tenebras, à præsentem lucem
 accipit.*

QVOD super, & quod fas fuerit, dabo vota
 sepulcro;
 Et sacro cineri dona suprema feram.
 O nimium felix marmor! domus hospita leto,
 Quæ claudis grauido marmore feta Deum!
 Delicias cape læta meas, cape pignus Amoris;
 Nobile depositum, quod tuearis, habes.
 Orbita dum refugis teritur Phœbea quadrigis,
 Et mea cum Phœbo spes redeunte redit:
 Hæc inter Domini, sine luce, sine igne vel aurâ
 Aetheriâ, ad tumulum Magdalis orba gemet.
 Aspicias hanc serâ quæ noctis oberrat in vmbra;
 Ah animi speculum conscia Luna mei est.
 Obuia Phœbeos Phœbe si concipit ignes,
 Oppositoque bibit fratris ab ore iubar;
 Cynthia fraternis ardet foror æmula flammis,

Mentiturque notho Sole superba diem;
 At simul inde cauos auerterit auia vultus,
 Umbra nigrans omni lumine cassa filet.
 Sic ego fidereum quem nox premit inuida vultū,
 Liquero; lucis inops, mortis vt umbra, querar:
 Ast vbi vicino tangam mox lumine Numen,
 Tota micans isto fidere fidus ero.
 Dat mihi mors CHRISTI, nox vt sim nubila
 luctu;
 Vt sim Luna redux, mox noua vita dabit.

L X.

Libripens Amor de vitâ aut morte M A G D A L E N A E ad sepulcrum.

ASPICE, luctificum quæ prospicit agræ
 pulcrum,
 Vt gemit, & passas tendit ad astra manus;
 Vt vox torpet iners, vt hiant suspiria anhelâ
 Hauſta animâ, vt mœſtus ſerpit in ora color:
 Vt ſtat ceu rupes, vt pallet tota vel ipſo
 Marmore frigidior, Biſtoniâque niue.
 Quæ rerû hæc facies? mors hîc, an vita ſuperſteſt
 Corpore Magdaleo Magdalis omnis abeſt.
 Cor ſi ſpecto, flagrat, vis viuida flammat Amoris:
 Sin corpus, gelido pallet in ore dolor,
 Altera pars vitæ, pars altera mortis imago eſt.
 Sic ſibi par diſcors Magdala tota perit.
 O ſortem ſine ſorte! pari diſcrimine fati
 Mors hîc alget hiems, & calet æſtus Amor.
 Anxia dic vtri cedit iam Magdala parti?
 Tota ſtet alterutri? tota an vtrique cadat?

Par